

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

31  
DISPUTATIONUM  
*De*  
Aristotelis cum Scriptura S. in illis,  
quæ ex lumine naturæ inno-  
scunt,

CONSENSU ET  
DISSENSU,

SECUNDA;

*Qua*  
Auspicio DEI,

PRÆSIDE

JOHANN. ZEISOLDO, Physf.

Prof. P. Honorario,

ET

RESPONDENTE

JOHANNE HANSELLI,

Nicopolio-Hung.

*Publico Eruditorum Examini submitteur,*

Ad diem 36. Octobris

Anno c1o l1c LX.

---

GENÆ,

Literis JOHANNIS NISII.

13



V I R O  
G E N E R O S O , N O B I L I S S I M O ,  
D N .  
M O Y S I H A N S E L I ,  
P R O V I S O R I  
B O N O R U M . A R C I S . L Y P T O - U Y V A R . & c .  
G E N I T O R I  
Æ T E R N U M

A M A N D O ,  
C O L E N D O ,  
V E N E R A N D O ,

Exercitium Hoc Academicum,  
Filialis observantiæ gratiâ,

D A T ,  
D I C A T ,  
D E D I C A T ,

J O H A N N E S H A N S E L I F .

*Cosmologiam Aristotelis cum Scripturis SS. consentientem exhibens.*

## §. I.



Nlimine occurrendum est Objectioni. Dicit enim quispiam: quæ Creationem Mundi cognitam habuerit Aristoteles, & quæ rebus naturâ notis ea annumerabitur, cum res fidei sit, ipso Apostolô docente *Ebr. cap. 11. v. 3.* Resp. Ita habent verba loci allegati: *Per fidem intelligimus perfecta fuisse secula Verbô DEI, ut ex his, quæ non apparebant, ea quæ videntur, fierent.* Quibus in verbis *specialis creationis modus* describitur, quòd nimirum ea facta fuerit Verbô Dei. Confer. *Joh. 1. v. 3. & Psal. 32. v. 6.* Distingvendum ergo omninò est inter rem, sive inter *creationem & creationis modum.* Res fidei est, Apostolô dicente & docente, quòd *Verbô Dei* facta sunt, quæ facta sunt, *Gen. c. 1. tot.* non verò res fidei esse dicitur *Mundi effectio* seu *creatio simpliciter spectata*, cujus notitiam Aristoteli tribuimus.

§. 2. Et nisi hanc distinctionem tenuerimus atque adhibuerimus, habebimus Apostolum sibi ipsi contradicentem. Etenim alibi (nimirum *Rom. 1. v. 19. & 20.*) Gentilibus notitiam creationis Mundi tribuit, ex illâque notitiam Dei enatam fuisse docet, ita scribens: τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτῶν (θεῶν) διὰ τὴν κτίσιν κόσμου τοῖς ποιήματι νοεῖσθαι καὶ ἰσθῆναι, &c. Ubi tria Gentilibus cognita fuisse dicuntur; 1. sunt *ποιήματα* seu *effecta* Dei; 2. est *ποιητὴς* h. e. *Effector*, Deus; 3. *ποίησις* seu *effectio* ipsa rerum visibilium Mundi. Et *ποιήματα* hæc sive effecta visibilia, docente Apostolô, medium fuere & via perveniendi in notitiam invisibilis Dei.

§. 3. Idem hoc, eòdem modò, & eisdem penè verbis

H

tra-

tradit Aristoteles in lib. de Mundo cap. 6. scribens: διότι πάντῃ  
 Ἰντῆ Φύσιν ἰσώμεν & ἀθεώρητον, ἀπὸ αὐτῶν τῶν ἔργων θεωρεῖται,  
 hoc est: quapropter cum (Deus) sit omni naturæ mortali incon-  
 spicabilis, ipsis nihilo secius cernitur ab operibus. Ubi, quem A-  
 postolus dixerat ἀόρατον, (vel ἀόρατος ἔστι θεός,) hunc Aristoteles  
 dicit ἀθεώρητον, inaspectabilem; & quæ ille dixerat πῆματα  
 θεῶν, hic vocat ἔργα; denique Apostolus utitur verbō καθε-  
 γόρευται; Aristoteles θεωρεῖται; parvō vocum discrimine.

§. 4. Opera autem Dei plurima dictō locō recenset  
 Aristoteles, tam primam rerum constitutionem, quàm con-  
 stituti mundi conservationem & administrationem attinen-  
 tia. Præcipuum est, quòd initiō cap. 6. ait, veterem esse sermo-  
 nem, & à Majoribus traditum, omnia ex Deo, & per Deum (pri-  
 mitus) constituta esse. Quibus ipsis verbis creationem & con-  
 stitutionem mundi notat. In sequente verò tractatione alia  
 Dei opera, quæ mundi constitutionem insēcuta, enarrat.

§. 5. Argumentamur ex superabundante. 1. Quicun-  
 que naturaliter cognoscit πῆματα Dei, & per ista ipsum πῆ-  
 τὴν seu Cōditorem Deum, ille per eadem naturaliter cogno-  
 scit ipsam πῆσιν sive creationem rerum. At verò Aristoteles  
 naturaliter cognovit πῆματα Dei, & per ista ipsum Cōdito-  
 rem Deum. E. Aristoteles naturaliter cognovit ipsam πῆσιν  
 seu creationem rerum. Minor cōstat ex §. 2. & 3. Major patet,  
 siquidem πῆματα formaliter includit πῆσιν, adeoque sicut il-  
 lud sine hac non datur, ita quoque sine hac non cognosci-  
 tur. 2. Per quod, tanquàm per visibile medium, Aristot. co-  
 gnovit rerum Creatorem, quatenus Creator est, per idem  
 cognovit quoque ipsam rerum creationem. Atqui per ἔργα  
 seu πῆματα θεῶν Aristoteles cognovit rerum Creatorem, qua-  
 tenus quidem Creator est. Et per ἔργα seu πῆματα θεῶν co-  
 gnovit quoque ipsam rerum Creationem. Minor non tan-  
 tum ex dictis liquida est, verum ex dicendis liquidior evadet.

§. 6. Ad

§. 6. Ad ipsum igitur principale negotium propiùs accedentes, prænotamus, vocem *Mundi*, quantum ad præsens, dupliciter accipi: *Vel* pro toto aggregato, omnes creaturas complectente, sive, uti habet Aristoteles *lib. de Mundo c. 6.* pro compage rerum concinnò ordine digestâ; *Vel* pro rebus in Mundo existentibus, nempe pro Cœlo, terrâ, aëre, aquâ, mari, omnibusque corporibus, à simplicibus usque ad composita, ab inanimatis usque ad animata, &c. Quæ utraque acceptio in præsentiarum obtinet, ceu ex progressu Disputationis apparebit.

§. 7. Quia autem duo, vel ad summum tria consideranda sese nobis offerunt; 1. Mundi origo & prima rerum productio; 2. Mundi institutio, seu, quomodo Deus Mundum instituerit, qualem ordinem rebus præscripserit, qui aliàs dicitur *Ordo Natura*; 3. Primarum (vel primùm productarum) Mundi specierum Cœli & Terræ consideratio; hac ipsâ Disputatione de duobus prioribus capitibus agemus, Cœli & Terræ contemplatione ad sequentem Disputationem rejectâ. Sunt igitur hujus Disputationis duo articuli.

*Articulus I.*

*De primâ rerum productione.*

§. 8. Expediemus negotium distinctis propositionibus, ceu in primâ quoque factum Disputatione.

I. Mundus juxta Aristot. primitus (vel, in principio) à Deo factus & creatus est.

§. 9. Sic in initio Geneseos; *in principio creavit Deus Cœlum & Terram.* Cui Divino Oraculo alia multa Scripturæ dicta accinunt. Hanc Mundi Creationem an Aristoteles cognitam & agnitam habuerit, & in hoc doctrinæ capite Scripturæ Sacræ consentiens fuerit, dispiciendum est. Not. quòd dictum: *hanc, vel, hujus Mundi Creationem.* Sunt enim

distinctæ quæstiones: 1. *An Aristoteli cognita fuerit creatio?* h. e. An Aristoteles sciverit, dari creationem, h. e. actionem productivam, à materiâ & subjecto independentem, contra distinctam generationi, quæ est productio à materia & subjecto dependens? 2. *An Aristoteli cognita fuerit creatio Mundi*, quæ *Genes. cap. 1.* describitur; Utramque quæstionem nos affirmamus, & firmissimè probatam damus.

§. 10. Priorem quidem ex *l. 9. Metaph. c. 1.* ubi Philosophus potentiam & actum etiam ponit in illis, quæ sine motu agunt fiuntque, & hoc ipso potentiam effectivam statuit sine motu, adeoque sine subjecto. Hæc sunt ejus verba l. d. *πλείον ἔστιν ἡ δύναμις καὶ ἡ ἐνέργεια τῶν μόνον λεγομένων κατὰ κίνησιν*, h. e. *plura complectitur potentia & actus, quàm quæ solùm ex motu dicuntur.*

§. 11. Sciendum igitur, in Philosophiâ Aristotelis *geminam potentiam effectivam, geminamq; adeò effectionem* (tàm activam quàm passivam) haberi; *unam* cum motu conjunctam, adeoque à subjecto dependentem; *alteram* sive motu, adeoque independentem à subjecto. *Prior* est generatio, *posterior* creatio, ceu alibi explicuimus. Utramque potentiam propositam habemus l. d. posteriorem quidem in verbis citatis, priorem verò in mox sequentibus, quando ait: *ἡ (δύναμις ποιητικὴ) ἔστιν ἀρχὴ μεταβολῆς ἐν ἄλλῳ ἢ ἄλλῳ*, h. e. *potentia (effectiva) est principium transmutationis in alio quatenus est aliud.* Pertinet huc definitio causæ efficien-  
tis, quam Aristor. ut *Physicus* tradit *l. 2. Phys. c. 3. §. 29.* quòd sit *ἀρχὴ τῆς μεταβολῆς ἢ πρώτη, ἢ τῆς ἡρεμῆσεως* h. e. *primum mutationis aut quietis principium.*

§. 12. Majoris evidentix causâ argumentamur: Quicumque statuit potentiam effectivam eique respondentem actum cum motu non communicantem, (adeoque à subjecto independentem) ille statuit potentiam creativam, eique  
re-



respondentem ἐνεργείαν seu actum creativum, sive creationem. Sed Aristoteles statuit potentiam effectivam, eique respondentem actum cum motu non communicantem, adeoque à subjecto independentem. Er. Aristoteles, statuit potentiam creativam, & actum creativum, sive creationem. Major constat, quia potentia effectiva à motu & subjecto independentens non est alia, quàm potentia creativa, & actus ei respondens, sive potentiam illam consequens, non est alius, quàm creativus, sive creatio. Deinde, Aristot. creationem rerum in particulari tenuit, ceu in progressu monstrabitur.

§. 13. Posterioris quæstionis affirmativam similiter assumimus, eamque manifestam facimus ex sequentibus Aristot. dictis. (1) In l. 1. *Metaph. c. 2.* ait: *Deus omnibus causa & principium quoddam esse videtur.* Notetur, quòd dicitur esse causa omnibus, intellige, non solum quâ individua, verùm quoque juxta species suas; omnes enim species sunt à DEO. Hinc: qui est causa omnibus juxta species suas, ille est primus omnium rerum Conditor. DEUS est causa omnibus juxta species suas. Er. DEUS est primus omnium rerum Conditor.

§. 14. (2) In l. 2. *Metaph. c. 2.* probat Philosophus, in causis agentibus, sicut in cæteris causis, non dari progressionem in infinitum, sed necessariò deveniendum esse ad unam primam omnium rerum effectricem causam, quæ nempe omnes res ita efficiat, ut ipsa à nulla fiat, vel à nulla pendeat, cujusmodi causa alia non est, præterquam DEUS, quem propterea appellat τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ πρῶτον τῶν ὄντων, principium & primum omnium entium, lib. 12. *Metaph. c. 8. t. 43.* item αἰτίαν πρῶτην καὶ δευτέραν, h. e. primam & principem causam, lib. de Mundo c. 6. item causam & auctorem omnium, seq. cap. 7.

§. 15. (3) Repetimus verba lib. 12. *Metaph. c. 8.* Deus est principium & primum omnium Entium, & inde sic discurremus: I. Si Deus est primum entium; Ergo sunt alia entia præter

Deum, quæ sint orta ab illo primo, & quorum ille sit principium. 2. Quidquid est Ens, non verò est Ens primum & à se, id ab alio productum sit necesse est; siquidem impossibile est, aliquid à se ipso fieri. Sed nihil præter Deum est ens primum & à se; quare omnia, præter Deum, ab alio producta esse oportet. Non possunt autem illa, quæ primò esse inceperunt, ab alio quàm à Deo producta esse, quia præter Ens primum, h.e. Deum, non extitit Ens aliud, quod aliquid de potentia ad actū revocare potuerit.

§. 16. (4.) Sed omnium clarissimus est locus *l. 12. Metaph. c. 7. t. 38.* ubi *Cælum & Naturam à Deo* (ut primo principio) esse, scribit. Hinc facile est argumentari: A quocunq̄ue ut primo omnium principio Cælum & universa Natura dependet, ille est Cæli universæque Naturæ Conditor. Sed à Deo ut à primo omnium principio Cælum & universa Natura dependet. Er. &c.

§. 17. Huc tandem (5.) referimus, quòd Anaxagoram, qui Deum causam Mundi esse docuit, hoc nomine laudat in *l. 1. Metaph. c. 3.* ubi ita: *ut entia partim se benè habeant, partim fiant, nec ignem fortassis, nec terram, nec aliud hujusmodi quidquam verisimile est arbitrari, nec rursus casui & fortune rem tantam attribuere, probè se habet. Quare qui uti in animalibus, ita & in Natura Intellectum (Deum intelligit) causam & Mundi totiusq̄ ordinis dixit, quasi sobrius apparuit collatus cum antiquis vana dicentibus. Istas autem rationes qui palam attigit, Anaxagoram fuisse scimus.*

§. 18. Sed inquis: ex istis Aristot. dictis nihil aliud habetur, quàm Deum esse causam efficientem Mundi & rerum mundanarum; an verò Deus Aristoteli habitus fuerit Creator rerum, & an juxta ipsum, prima rerum productio sit creatio, disquiritur. Quain re omninò affirmativa, uti quidem ex dictis videre est, statuenda. Et quamvis Aristoteles non

iisdem, quibus Scriptura Sacra utitur, rem exprimat verbis; quamvis etiam non actu & κατὰ τὸ ῥητὸν illud assertum apud Aristotelem contineatur vel legendum extet, tamen ipsum δυνάμει in Aristotelicis doctrinis latere, & inde per legitimam consequentiam deduci posse, tam certi sumus, quam qui certissimi.

§. 19. Imò cum ipsis Scripturis SS. ita comparatum esse, compertum habemus, quòd nimirum multa asserta tantum δυνάμει in illis latefcunt, nec κατὰ τὸ ῥητὸν inibi continentur, sed per legitimam consequentiam exinde deducenda veniunt, ceu non solum ex anteced. Disputatione patet, verum quoque ex hac ipsa manifestum evadet. Et quis dubitet, in citatis ex Aristotele dictis æquè creationem Mundi describi, ac in istis Scripturæ Sacræ dictis: *Deus fecit Cælum & terram & mare, & omnia, quæ in eis sunt, Ps. 146. v. 6. Ego Jehova faciens omnia, extendens cælos solus, Esa. 44. v. 24. Deus fecit Mundum & omnia, quæ in eo, Act. 17. v. 24.* Etenim & in his dictis sacris nulla expressa *creationis* fit mentio; quin verò illa reverà inibi contineatur & doceatur, dubium est nullum. *In his, ajo, dictis.* In aliis enim dictis Scripturæ creationem mundi κατὰ τὸ ῥητὸν haberi & expressè doceri, satis notum est.

§. 20. Sed ut ad scopum tandem perveniamus, ita argumentamur: quidquid ratione primi termini, & ratione primæ suæ originis tam juxta Scripturam S. quam juxta Aristotelem, dependet (effectivè) à Deo citra dependentiam à materia sive subjecto, illud à Deo dependet per creationem, sive illud à Deo creatur. Atqui Cælum, Terra, & tota Natura ratione primi termini, & ratione primæ suæ originis, tam juxta Scripturam S. quam juxta Aristot. dependet (effectivè) à Deo citra dependentiam à materia sive subjecto. Er. Cælum, Terra, & tota Natura à Deo dependet per creationem, sive, à Deo creatur, & creata conservatur.

§. 21. Major constat ex ratione formali creationis; Minor patebit ex seqq. Not. autem, quod dictum: *ratione primi termini, & prima sua originis*. Potest enim dupliciter intelligi, *Mundū & res Mundi factas esse citra dependentiam à subiecto, sive esse creatas propriè: vel ratione primæ originis, adeoq; ratione primi termini à quo*, qui est purè negativus, & purum non ens; vel *ratione cūctarum*, quâ cunctæ res juxta species suas in esse constitutæ sunt. Prioris intuitu Mundus dicitur (dicendus venit) creatus, non ratione posterioris. Nec enim ad hoc, ut Mundus dicatur creatus, requiritur, ut cūctæ res juxta species suas sint creatæ propriè, h. e. ex nihilo productæ; hoc enim impossibile est, & contra naturas rerum; sed ut aliquid, quod scil. primum inchoamentum Naturæ est, sit creatum, ratione cujus, vel, secundum quod creata intelligantur, quæ, præter ipsum, creata dicuntur. Sicut e. g. de Adamo Scriptura S. dicit, quòd Deus ipsum ex limo terræ effecerit, qui tamen tantum secundum corpus, minimè verò secundum animam rationalem ex limo terræ factus dici potest.

§. 22. Huc pertinet, quòd in Scholis *creatio* dicitur esse duplex; *prima & secunda*, vel, ut aliis proponere lubet, *immediata & mediata*. De qua distinctione nos impræsentiarum nihil dicimus, (factum id est alibi) memores illius: *ἴστον πρῶτον*. Ita igitur procedimus. Sicut duplicis conditionis res in primo rerum molimine factæ sunt; nimirum quædam in esse & fieri sunt independentes à materia; quædam verò in esse & fieri à materia dependentes; sic productio rerum datur gemina: una rerum simplicium, nullum sui ortus subiectum admittentium; altera rerum corporearum, materiam seu subiectum aliquod, ex quo factæ sint & consistunt, admittentium, imò requirentium.

§. 23. Priorem creationis modum, si vel Scripturam S. vel Aristotelem consulas, tantum tria agnoscunt & admit-

cunt entia, h. e. tria tantum sunt, quæ propriè creata h. e. ex nihilo (quod est nihilum subjecti) producta dicenda veniunt: 1. Angeli; 2. Materia prima; 3. Anima rationalis. Posterioris verò modi magna est latitudo, cõprehenditurq; eo Cœli & Terræ, omniumque quæ tam in Cœlo, quàm in terra constituta sunt, & longò ordine in *Genes. ca. 1.* recensentur, effectio. Quam utramque productionem, ad Mundi creationem spectantem, ex Aristotele monstrabimus.

§. 24. Primò quidem Angelorum creationem quod attinet, invenimus eam in *l. 2. Rhetor. c. 23.* ubi asserit, *Dæmones esse opus Dei.* Quod opus aliud non esse novit Aristot., quàm independens à materia. Et aliàs notæ sunt Intelligentiæ Aristotelicæ, per quas nullas alias substantias intellexit Philosophus, quàm Angelos, ceu alibi monstratum, & aliàs constat. Has substantias, juxta Aristot. creatas fuisse, probamus cum Javello *lib. 12. Metaph. q. 5.* ubi sic colligit: Deus est causa productiva Intelligentiæ. Er. eam creavit. Ratio: quia enim est sine materia, (quod utique novit Aristoteles, siquidem istas substantias nec pro corporibus habuit, nec pro formis corporeis seu materialibus, sed pro substantiis simplicibus, substantiæ materiali oppositis) producta quoque est sine materia, h. e. materiâ, tanquam subjectò productionis, non concurrente. Taliter autem fieri sive produci, est creari, uti è Philosophia Aristotelica notum est, & hîc supponitur.

§. 25. Confirmatur deinde hoc discursu. Angeli, juxta Aristotelem, producti sunt à Deo. Vocat enim opus Dei. Jam verò aut generatione cœperunt, aut creatione. Tertium enim non admittit vel Philosophia Aristotelica, vel sanatio. Non generatione; hæc enim est eorum, quæ naturâ constant; *l. 1. Phys. c. 7. t. 65.* Angeli verò non constant naturâ, sed sicut sunt expertes materiæ, ita quoque naturæ.

I.

Er.

Er. Intelligentiæ & Dæmones juxta Aristotem cœperunt creatione.

§. 26. Deinde, Materiæ primæ creationem tenuit Aristoteles. Prob. 1. Docet is *l. 12. Metaph. c. 7. t. 34.* naturam à Deo dependere. Jam verò materia prima est natura; est *πρώτη φύσις, πρῶτον ἰσχυρόν*, prima natura, primum subjectum, primumque quasi fundamentum Naturæ. Er. materia prima à Deo dependet. Aut per generationem, aut per creationem. Non illud; est enim materia Aristoteli *αἰώνη* & sive ingenita. Er. hoc. Igitur materia prima juxta Aristotem fuit creata à primo rerum Conditorum.

§. 27. Potest deinde argumentum strui h. m. quidquid vel quæcunque substantia cœpit, & tamen non cœpit cum motu & dependentia à subjecto, illa substantia cœpit per creationem. Sed Materia prima cœpit, & tamen non cœpit cum motu & dependentia à subjecto. Er. materia cœpit per creationem. Major desumpta est ex Aristot. *l. 9. Metaph. cap. 1.* & fundatur in principio hætenus non semel inculcato, quòd inter istos duos fiendi modos, non detur tertius sive medius. Minor constat ex *l. 12. Metaph. c. 7.* quidquid dependet ab aliquo in esse, illud accipit ab eo esse, adeoque incipit esse. Materia prima verò dependet à Deo in esse. Er. &c.

§. 28. Tertio denique Aristoteles cognovit creari animam rationalem. Docet enim *in 2. de generat. animal. c. 3.* ipsam de foris venire, h. e. se non habere, sicut aliæ formæ sive animæ, quæ de potentia materiæ educuntur, sed à solo agente extrinseco, absque dependentia à subjecto, produci ex nihilo. Quod autem Aristot. dicit & docet de anima rationali in genere, id omnino quoque, juxta ipsum, accipiendum est de prima anima rationali, sive de anima primi hominis, quicumque ille fuerit, (quem tamen fuisse Adamum, nos ex historia Genes. novimus) & quandoque à Deo productus fuerit.

§. 29.

§. 29. Estque in promptu argumentum è fundamentis Aristotelicis exstructum: quæcunq̄ue anima, de sententia Aristotelis, non communicat cum materia, (cujusmodi in homine est corpus organicum hominis) sive nullam ab ea quâ esse, fieri & operari habet dependentiam, illa anima, juxta Aristot. ex natura sua non educitur è potentia materiæ, sed creatur. Atqui anima rationalis, de sententia Aristot. non communicat cum materia, sive nullam ab ea quâ esse, fieri & operari habet dependentiam. Er. anima rationalis juxta Arist. non educitur è potentia materiæ, sed creatur.

§. 30. Atque hæc de genuina rerum simplicium, nullumque subjectum, à quo in esse & fieri dependeant, admittentium creatione nos docuit Philosophus noster; quid de creatione secunda, ita dicta, proposuerit, videamus quoque. Quam Sacra Genesis longâ serie distinctim describit rerum constitutionem, illam unicâ voce, unicô verbô comprehendit & exprimit Aristot. in l. de Mund. c. 6. init. ajens: *τὰ πάντα ἐκ Θεοῦ καὶ διὰ Θεοῦ συνέστηνεν*, h. c. *omnia ex Deo & per Deum constituta sunt*. Omnia, inquit; intellige, juxta species suas, uti sunt Coelum, Terra, aër & aqua, &c. plantæ, ut herbæ, frutices, arbores: animantia bruta, ipseque denique homo, &c. omnia à Deo primitus producta & in esse constituta.

§. 31. Probamus insuper assertum ex l. 12. *Metaph. c. 7. v. 34* ubi Coelum (ipsamque Naturam) à Deo esse tradit. Nunc antè indigitatô discursu rem expeditam dabimus. Coelum Aristoteli est à Deo. Aut per generationem, aut per creationem: Hos enim duos fiendi modos habet, non plures. Intelligend<sup>9</sup> autem uterq̄; modus in ea proprietate, in qua invicè opponuntur. Jam verò Coelum Arist. non est per creationem, scil. strictè dictam. Er. per generationem. Creatione enim fiunt ista, quæ nullam materiam, nullumque subjectū, à quo in esse & fieri dependeant, admittunt. Coelum autem

admittebat, imò requirebat materiam ad eductionem formæ suæ, quando producebatur. Igitur non creatione, sed generatione factum est juxta Arist. coelum, quando factū est.

§. 32. Vel argumentum formamus ex *l. r. Phys. c. 7. t. 65.* ubi sic: *Si eorum quæ naturâ constant (τῶν φύσιν ὄντων) principia sunt, ex quibus primis constant & facta sunt, non per accidens, sed unum quodque id, quod per substantiam dicitur, patet, omnia fieri ex subjecto & formâ.* Inde argumentamur: Quidquid constat naturâ, id quando fit, fit ex subjecto (h. e. materiâ) & forma. Coelum (sicut & cuncta corpora Physica) constat naturâ. Er. Coelum quando factum est, ex materia & forma est factum. Quidquid verò ex materia & forma est factum, id neutiquam creationi strictè dictæ, sed generationi ortum suum debet.

§. 33. Atque hæc est illa *ὁμοιωσις*, quam Aristoteles, verbo *ὁμοίωσιν* indigitavit *d. l. de Mund. cap. 6.* quâ nimir. cunctæ res naturales in esse suo constitutæ sunt. Hanc, Coeli aliorumque corporum constitutionem, quæ vera est generatio, creationem secundam & mediatam nonnulli adpellant, ratione ducti, quòd fit ex indisposita & inhabili materia, quæ quodammodò rationem nihili habeat. Id quod nos suo locò relinquimus. Sufficit nobis, quòd in re sit convenientia, quidquid sit de verbis sive terminis. Atque sic constat, Coelum & reliqua corpora primitus (vel in primo rerū molimine) à Deo facta esse, cò, puta, modò, qui eorum naturæ convenit, sive creationem secundam dicas, sive generationem, qua ex materia, in se quidem inhabili, à Deo tamen disposita & habili redditâ, facta sint, quæcunq; facta sunt corpora.

II. Datur, juxta Aristotelem, verum Mundi principium, & creatio cum novitate essendi, uti in Scholis loquuntur.



§. 34. Hic rursus duæ discernendæ sunt quæstiones; 1. *An Aristoteles cognitam habuerit creationem Mundi?* 2. *An cognitam habuerit creationem Mundi temporalem, sive, in tempore factam?* Hæ quæstiones omninò sunt distinctæ; *posterior*, enim involvit productionem rei (Mundi) cum novitate essendi, infertque causam producentem non naturâ solùm, verùm quoq; duratione priorem fuisse, seu præcessisse res productas; *prior* verò hoc non involvit, aut exigit, seu non requirit, ut causa producens sive creans duratione sit prior rebus productis, sed sufficit, si solùm naturâ sit prior, quomodo Sol, ut causa, est prior radiis suis, tanquàm effectibus, non duratione quidem seu tempore, sed naturâ duntaxat.

§. 35. Hic communis est sententia, Aristotelem, cùm Mundum ab æterno esse statuerit, temporalem Mundi creationem, quæ sit cum novitate essendi, non tenuisse. Quamvis verò nos arduum hoc esse negotium non diffiteamur, tamen enitemur Aristotelem ab illa opinione, aut suspicione, quam hætenus multi de eo habuère, liberare. Nunquam enim nobis persuadere passi fuimus, Aristotelem statuisse Mundum æternum, aut ab æterno, in proprietate & rigore Metaphysico terminum, uti quidem par est, sumendo.

§. 36. Præmittimus autem hanc distinctionem. Aliud est, *tenere initium temporale Mundi, sive, Mundum in tempore fuisse conditum;* aliud, *tenere determinati temporis initium, quo Mundus à Deo sit conditus.* Hoc quidem posterius non asseveramus de Aristotele, cùm id è sola Historia Sacra cognoscatur; prius verò intelligimus, quando Mundum in aliquo temporis initio factum fuisse, Aristotelem tenuisse statuimus. Et hoc probamus. 1. Aristoteles docet, Naturam dependere à Deo. Jam autem absurdum est, aliquid ab aliquo dependere, & tamen ipsum illud initiò carere. 2. Arist. tradit, omnia in Mundo à Deo constituta esse. Er. erit aliquod constitutionis initium.

§. 37. Sed inquis: ista omnia facilimè conceduntur. Isto autem pacto non concluditur temporis initium. Nihil enim aliud sequitur, quàm Mundum esse naturâ posteriorem Deo. Contrâ, nostras illationes de initio temporis esse intelligendas, manifestum facimus. Primò urgemus insignem multitudinem & magnam diversitatem rerum conditarum. Quædam enim sunt simplices & incorporeæ, quædam corporeæ; quædam à materia in esse & fieri independentes, quædam dependentes ab eadem; &c. Deinde urgemus varias actiones, vel varios actûs, qui, de sententia Aristot. ad fabricationem Mundi requirebantur. Denique urgemus summam Dei in agendo libertatem, quam *sect. antec.* ex Aristot. abundè demonstravimus.

§. 38. Quis verò sibi imaginabitur, voluisse aut sensisse Aristot., in simplici æternitate (in simplici æternitatis *viv*) tot & tam varias varièque diversas & differentes naturas, tam à materia independentes, quàm dependentes ab ea, spiritus & corpora, & in specie Intelligentias, materiam primâ, Coelû, terram, &c. animantia bruta secundum corp<sup>o</sup> & animâ, (quæ est anima materialis) homines secundum corpus & animam, (quæ est anima immaterialis) tot, inquam, varièque diversas naturas à Deo simul & semel emanâsse? Quis sibi imaginabitur, Aristotelem sensisse, unam & eandem numerò actionem, quæ esset æterna creaturarum emanatio, esse partim independentem, partim dependentem à materia? unam & eandem numerò emanationem æternam includere (vel admittere saltem) Intelligentiarum & animarum rationalium creationem, & rerum corporearum constitutionem? Quis imaginabitur sibi, Aristotelē, qui procul dubio productionem Mundi esse liberam Dei actionem probè tenuit, (uti nos jam jam palàm faciemus) sensisse & voluisse, Dei creationem esse æternam & necessariam rerum ex ipso, (vel, ab ipso) emanatio-

nationem? Cum verò singula hæc, tanquàm ab Aristot. alienissima, longè propudianda sint, manet reliquum, Philosophum æternam rerum emanationem ne quidem intendisse, sed omninò temporalem creationem intellexisse.

§. 39. Sed ecce! temporalem & successivam Mundi fabricationem ex Arist. clarissimè ostendem⁹. Adimus librum de Mundo, in cuius *cap. 5.* sic tradit Philosophus: *terram omnem, omne mare, ætherem, Solem, Lunam & totum Cælum vis una per omnia pertingens* (διήκουσα, pervadens, penetrans, permeans) *διεκόσμησεν* h. e. *adornavit.* Et in *seq. ca. 6.* ait, *omnia ex Deo & per Deum constituta esse.* Quod dictum videtur convenire cum illo *Johan. cap. 1. v. 3.* *Omnia per ipsum facta sunt.*

§. 40. Hæc est illa Mundi constitutio, quam Aristotel. docuit, de qua sequentia annotare lubet. 1. Nulla hîc, ubi est genuina hujus doctrinæ apud Aristotel. sedes, æternitatis fit mentio. Nec enim verè æternam rerum vel constitutionem, vel adorationem intelligit aut indigitat Philosophus, quia nimirum talem nunquam cogitavit. 2. Effectiva rei constitutio & adornatio non est effectus emanatio. Ut sic æterna Mundi emanatio in fumum abeat. 3. Mundi constitutio & adornatio, uti quid. h. l. ab Aristot. describitur, omninò ordinem & successionem temporis includit. Distincta enim rerum constitutio & adornatio (ὁριστικὴ καὶ ἀεικόσμησις) non fit sine ordine.

§. 41. Ex his Arist. dictis intelliguntur & explicantur illa, quæ superius (§. 13. 14. *seqq.*) in medium fuere proposita, præcipuè illud *l. 12. Metaph. c. 7.* ubi *Cælum & Naturam à Deo esse* dixit, hoc, intellige, modò, qui in lib. de Mundo exponitur. Omnia enim juxta species suas à Deo sunt constituta & adornata. Er. & Cælum, & reliquæ res cunctæ. Congruit locus *Genes. c. 2. v. 1.* ubi dicitur: *perfecti sunt Cæli & terra, & omnis exercitus eorum.* Ut procul omni dubio hæc ὁριστικὴ &

ἀει-

Δεξιόσμιος (hoc σκέπηκεν Aristotelicum) si rem ipsam spectemus, sit illa, quam Moses *Genes. cap. 1.* longâ serie describit.

§. 42. Antequam hinc abeamus, argumentum ex Aristotele conficiendum est pro temporali Mundi creatione. Fundamentum est, quòd ubi successio operis, ibi initium (temporale) operis. Sit syllogismus: quodcunq̄ue opus includit successionem temporis, illud includit initium temporis. Atqui *σύνθεσις* atq̄ue *Δεξιόσμιος* (vel constitutio & adornatio) Mundi Aristotelica sive ab Aristot. descripta includit successionem temporis. Er. constitutio & adornatio Mundi ab Aristot. descripta includit initium temporis. Res est liquida. Differentia solùm est in eo, quòd ex Script. novimus *certi & determinati temporis initium*, in Aristotel. verò *nullius determinati temporis initium* invenimus, aut inde colligimus.

§. 43. Nec obstat, quòd Arist. *tempus* (uti & *motum*) *æternum* pronunciat. Resp. (1.) vox *æterni* tunc non sumitur propriè. (2.) in Scripturis Sacris simili id factum modò: *Baruch. c. 3. v. 16.* &c. Sed hac de re *συν* *ἴσως* in altera hujus Tractatus parte de professo.

### III. Deus, juxta Aristotelem, liberè creavit Mundum.

§. 44. Poterat quidem de hac propositione ex *sect. 1. art. 2. proposit. 19. §. 119.* constare; ipsam tamen h. l. paucissimis attingemus. Repetimus primò, quòd, quidquid perfectionis est in rebus creatis, omne id modò longè excellentiori in Deo contineri, non solùm aliàs & de se in propatulo fit, verùm quoque apud Aristot. certum & indubium. Unde Deo omnia in gradu excellentissimo, vel, in summa perfectione tribuit. At verò voluntatis libertas una est ex maximis naturæ intellectivæ perfectionibus. Erit igitur maximè in Deo. Si verò Deus quidquam ex naturæ necessitate extra se ageret, præcipuè si mundum ex necessitate naturæ creâset, sequeretur, ipsum non esse agens liberrimum; quod non solùm

lùm

lūm de se ἀφιλοσοφώτατον est, verūm quoque principiis Aristotelicis maximè adversum.

§. 45. Deinde, Deus, juxta Aristot. est ἀντάρκης, & nullius rei externæ indigens, utpote qui ex sua natura omnem boni & appetibilis rationem in sua essentia invenit. Vid. *h. z. Magn. Moral. c. 15. & lib. 7. Polit. c. 1.* Unde infallibiliter sequitur, Deum nihil extra se necessariò appetere, & proinde nihil creaturarum ex absoluta aliqua naturæ necessitate producere, aut produxisse. Includamus syllogismò: quodcunq̄ agens intellectuale nihil extra se ex naturæ necessitate appetit, illud nec quidquam extra se ex necessitate naturæ agit. Sed Deus (juxta Aristot.) nihil extra se ex necessitate naturæ appetit. Et. &c. Major suâ luce radiat.

§. 46. Denique, quis sanorum hominum negaverit de Aristotele, ipsum & cognitum habuisse, & omninò sensisse, (vel, in ea sententia fuisse) Deum omnia agere κατὰ τὴν εὐδοκίαν θελήματ' αὐτῶν. Quis negaverit, Arist. & tenuisse & agnovisse, illum, qui naturæ intellectivæ creatæ dedit liberè determinare & accingere se ad actionem, illum, inquam, cum & ipse intellectualis naturæ sit, perfectissimumque intellectum, & perfectissimam voluntatem habeat, liberè, imò liberrimè, se determinare & accingere ad actiones suas? Sicut enim ille, à quo habemus, ut vivamus & vitaliter operemur, perfectissimè vivit & perfectissimè operatur, ita quoque idem, utpote à quo habemus, ut liberè operemur, liberrimè operatur. Quæ omnia, quanta quanta sunt, Aristotelica sunt, quamvis κατὰ τὸ ῥητὸν apud ipsum non inveniantur.

§. 47. Nec moveri quis debet illo effatò Aristotelicò, quò Deus ex necessitate naturæ agere dicitur. Nō enim istud tollit summam Dei libertatem. Sunt enim distinctissima, (1.) *Deum ex necessitate naturæ agere*, quod (rectè intellectū) verum est; Deus enim sicut est necessarium Ens, ita necessarium

K

agens,

agens, & quantus quantus est, activus vel operativus est; & (2.) *Deum ex necessitate naturæ agere, quidquid agit*, quod demum libertati Divinæ adversatur. An verò hoc Aristotelis dogma fuerit, in altera Tractatus parte *ὡς ἔστω* videbimus.

IV. Datur in Natura Materia prima, eaque primùm à Deo creata, & universæ naturæ corporeæ, tanquàm basis & commune seminarium, à Conditore data & destinata fuit.

§. 48. Tria in hac propositione distinctim consideranda veniunt; 1. dari in rerum Natura materiam primam; 2. eam à Deo esse creatam; 3. ipsam esse totius naturæ basin & fundamentum, & commune (ita loquendo) rerum corporearum seminarium. De singulis ordine.

§. 49. Apud Aristotel. totum hoc negotium liquidum est, id quod breviter ostendimus. Primum patet ex *l. 1. Phys. c. 7. & 9.* ubi & existentiam materiæ primæ probatam atq; statuminatam, & ejus naturam nativasque proprietates expositas invenimus. Ejus verò creationem Aristotelem scivisse & tenuisse supra probavimus. Si nimirum, docente Philosopho, (1.) Cœlum dependet à Deo, etiam materia prima, utpote quæ est pars essentialis Cœli, quæ est subjectum formæ Cœli, &c. à Deo dependet. (2.) si tota Natura, juxta Aristot. à Deo dependet, etiam materia prima à Deo dependet, utpote quæ, juxta ipsum, est prima natura, primum Naturæ fundamentum & inchoamentum, ceu jam jam pluribus dicetur & probabitur.

§. 50. Porro, quia hoc non videtur sufficere, siquidem aliud est, à Deo dependere, quod quivis facile concedit de materia prima; aliud dependere à Deo per creationem, sive à Deo creari, aut creatum esse, id jam pariter ex Arist. ostendimus, & quidem ex *d. l. 1. Phys. cap. 9. in fin.* ubi materiam primam esse ingenitam, nec generatione incipere potuisse docet. Si enim

enim materia prima generatione esse inciperet, (inceptisset,) ipsa non esset materia prima sive primum generationis subiectum, sed supponeret aliud prius subiectum; quod illatum absurditate non caret, quæ alibi (nimirum in Physicis) pluribus ostenditur. Quia verò materia prima, (1.) juxta Aristot. à Deo dependet, & (2.) juxta ipsum, *αὐτὴν ἔχει* est, sive generatione non cœpit, sequitur, materiam primam juxta Aristotelem alium productionis modum habuisse, qui non est (nec esse potest) alius, quàm creatio; siquidem plures, quàm duos, fiendi modos Philosophia Aristot. non admittit.

§. 51. Quantum verò ad tertium, illud ex Aristot. facilimò negotiò deducitur. Materia enim prima ipsi non solùm natura est, verùm quoque prima & subiecta natura, *d. l. 1. Phys. t. 69. & 80.* primum uniuscujusque subiectum, *seq. t. 82.* ex quo (junctâ formâ) omnia, quæ naturâ constant, fiunt & componuntur, *d. text. 82. & antec. t. 65.* Id verò quod tale est, taliterque se habet, annon basis & fundamentum Naturæ est? Quod verò sit commune naturæ (formarum naturalium) seminarium, Philosophus appellatione *matris* indigitat, *d. l. 1. 80.* Sicut enim *mater* foecunda numerosam emit prolem, ita *materia prima* cunctas (exceptâ animâ rationali, quæ sola extrinsecùs materiæ suæ advenit, *l. 2. de gen. anim. c. 3.*) enititur naturales formas, & hoc ipso res secundùm suas species in Naturæ theatro sistit.

§. 52. Quantum verò deinde ad Scripturam, prostat quidẽ locus *Sapient. c. 11.* ubi dicitur, quòd *manus Domini orbem terrarũ fecerit ex materia invisâ*; attamen quid per *materiam invisam* intelligatur, non adeò constat. Sunt enim, qui interpretantur de materia prima, inter quos est Franc. Vallesius *de S. Philos. c. 69. p. m. 345. 346.* Sunt deinde, qui accipiunt de congerie corporum indigesta & inornata, adeoque non de primâ sive de propriè dicta creatione, sed de perfectione, di-

spositione & distinctione rerum, qua hic Mundus conditus est, & indebito Naturæ statu atque pulchritudine constitutus; ita Perer. *in Genes. l. 1. c. 1. p. m. 21.* Svarez. *Disp. Metaph. 13. sect. 11. num. 30. p. 283.*

§. 53. Sed quidquid hujusrei sit, sive priorem amplectaris interpretationem, sive posteriorem, habes materiam primam. Si priorem, res de se est in aprico. Si posteriorem, eadem prodit materia prima. Illa enim materia, cujus *in d. cap. 11. Lib. Sap.* fit mentio, aut est simplex, aut composita. Si simplex, non est alia præterquam materia prima. Si composita, (qualis in cit. dicto intelligitur) supponit aliam materiã, quæ simplex sit & incomposita, quæ non est alia, quàm materia prima. Vel, colligimus sic: Datur, juxta Scripturas SS. aliqua rerum (scilic. naturalium) materia. Er. juxta easdem dabitur materia prima. Consequentia nota est.

§. 54. Deinde, materia prima porrò hoc pacto ex Sacra Genesi probatur. 1. Res illæ, quarum productio *in cap. 1. Genes.* describitur, sunt corporeæ, adeoque ex materia & forma compositæ. Dabitur igitur materia pro illis corporibus. 2. Illa rerum naturalium productio fuit generatio, ipsã Historiã Sacrà sic vocante, *Genes. c. 2. v. 4.* ubi dicit *generationes* (תולדות) coeli & terræ. Accedit, quòd productiones rerum, quæ *cap. 1.* recensentur non fuerint aliæ, quàm generationes. Processere enim ex subjecta aliqua materia, quæ partim aqua fuit, partim terra. Præterea germinatio plantarũ, quæ *vers. 11. & 12.* describitur, quid aliud, quàm pura pura generatio. &c. Hinc porro: Quidquid generatur & generando in certa specie constituitur, illud ex subjecta materia & certæ speciei forma producitur, & vicissim: quidquid ex subjecta materia & certæ speciei forma producitur, illud generatur, & generando in certa specie constituitur.

§. 55. Ut sic de materia rerum naturalium satis instru-

ti



Et si simus ex Sacra Scriptura. Ad materiam autem primam inde procedere, eamque inde probare jam monstrat Philosophia, quæ docet, in quovis causarum genere deveniendum esse ad aliquod primum, & Naturam abhorrere à processu in infinitum, id quod Arist. non uno in loco docuit, præcipuè *lib. 2. Metaph. c. 2.* De hoc *ἑτερόπλοον* conferendus D. Grauer. *b. r. in 2q. Illustr. Disp. 8. q. 4.*

§. 56. Quantū verò porro ad creationem materiæ primæ, illam (sicut ipsam ejusdem existentiam, officium &c.) in SS. Literis expressam non habemus; quin verò talia inibi fundamentum habeat, non est, ut quispiam dubitet. Nos hac vice proponimus hoc argumentum: Id, in quo & secundum quod creata sunt, quæ in Scripturis Sacris creata dicuntur corpora, creatum esse oportet. Sed materia prima est id, in quo & secundum quod creata sunt corpora, quæ in Scripturis Sacris creata dicuntur. Er. materiam primam creatam (scil. propriè & verè) esse oportet. Major ex terminis innoscit, patetque ex similibus exemplis. 1. Si omnes homines in Adamo peccarunt, uti Apostolus docet, Adamum peccasse consequitur. 2. Si primus homo de limo terræ fuit formatus, uti Sacra narrat Genesis, & tamen non formatus fuit secundum animam rationalem, utpote quæ ei inspirata fuit, ipsum secundum corpus ex limo terræ formatum esse consequitur. Minor est in confesso, & apud plurimos Scriptores reperitur. Probatur autem ex superabundante, quia corpora secundum se, & ut corpora sunt, non creantur, sed generantur.

§. 57. Ex hoc eodem fundamento probatur quoque denique tertium, nimirum, materiam primam, juxta Scripturam, esse totius Naturæ basin, primumque omnium rerum & specierum inchoamentum, uti loquitur Zabarel. *l. 1. de Mater. pr. ca. 1.* Patetque, si argumentum reperamus: In quo & secundum quod creata sunt res corporeæ, id omnium creaturarum

corporearum fundamentum, primumque earum inchoa-  
mentum esse oportet. Sed in materia prima & secundum  
ipsam creatæ sunt res corporeæ, quæ creatæ dicuntur. Er-  
materia primam omnium creaturarum corporearum fun-  
damentum & inchoamentum esse oportet. Major ex termi-  
nis est manifesta. Minor jam antè probata est.

§. 58. Denique materia hæc est commune omniū forma-  
rum materialium seminarium. Cunctæ enim primùm, acce-  
dente speciali dispositione, ex illa prodiere. Hoc factum,  
quando Deus dixit, *germinet terra herbam virentem, producat  
terra animam viventem, &c.* Quando enim prodibant variæ  
res secundum species suas, prodibant variæ rerum formæ; cū  
fieri rei corporeæ sit in fieri atque uniri formæ ad materiam  
suam; quod quidem aliter se habet in formis materialibus,  
aliter in immaterialibus, ceu alibi expositum dedimus.

§. 59. Sed inquis: ex terra & aqua dicuntur prognata  
esse cuncta, neuti quàm ex materia prima. Resp. intelligen-  
dum tamen id est secundum materiam istorum corporum,  
neuti quàm secundum formam. Subjectum enim & mate-  
ria, ex qua orta corpora, quæritur. Ista autem materia  
non est alia, quàm materia prima, quæ, quantum ad præsens,  
prius erat sub dispositionibus & forma terræ & aquæ, postea  
verò sub dispositionibus atque formis variorum animantiū  
& terræ nascentium, &c.

V. Omnes res (omnia corpora) in prima creatione  
propriam suam materiam, propriasque suas for-  
mas acceperunt.

§. 60. Hoc ex historia Geneseos manifestum est. Quan-  
do enim terra, Deo dicente & iubente, protulit herbam viren-  
tem, ligumque pomiferum, protulit unumquodque secun-  
dum speciem suam. Quælibet autem species, quia per suam  
fo-

formam specificam est id, quod est, ideò nata est talem formam, talem quæ constituat speciem. Similiter quando aquæ produxerunt reptile animæ viventis; & quando terra produxit jumenta, reptilia & bestias terræ juxta species suas, &c. singulis tributæ & ingeneratæ sunt formæ propriæ atque specificæ, in propria quidem & appropriata materia. Propria enim forma propriam desiderat materiam, & vicissim propria materia propriam formam. Id quod maximè conspicuum est in formatione hominis, sive corporis humani, cui Deus animam intellectualem inspiravit. Talem ibi materiam, & tale corpus organicum primus rerum Conditor efformavit, quale animæ intellectuali, ut formæ, conveniret, speciemque humanam deceret.

§. 61. Idem hoc Aristot. docuit, multisque in locis inculcavit. Sic *l. 8. Metaph. c. 4. t. 11.* communem & propriam materiæ rationem exponit, & unde materiæ sit diversitas, tradit. Summa rei est in illo, quod *lib. 2. Phys. c. 2. t. 26.* legitur: *alia materia ad aliam formam accommodata*, nimirum per aliam & aliam ejus dispositionem. Quò facit, quòd *lib. 2. de an. t. 26.* ait, *non quodvis suscipere quodvis, & non quamlibet animam quodlibet ingredi corpus*, *l. 1. de an. c. 3. t. 53.* Confer *l. 1. de par. animal. c. 1.* Quæ Aristotelica effata locum habent & retinent in omni & quacunq̃ue rerum generatione atque constitutione, à quocunq̃ue ea agente fiat, quando & ubicunq̃ue perficiatur.

VI. In prima rerum naturalium productione formæ & animæ materiales educebantur è potentia materiæ, immaterialis verò, quæ est sola anima rationalis, per creationem data & inspirata fuit homini.

§. 62. Placet hanc rem (certis de causis) aliorum verbis

ex.

exponere, præcipuè quòd eleganter & doctè ab uno atque altero proposita & expositam ipsam videamus. Primò, Franc. Valles. in *S. Philos. c. 1. p. m. 40.* hæc habet: *in aliis* (scil. præter hominem) *magis præstitit materialem significari naturam, nihilq; in illis esse divinum, & supra corporalem essentiam separabile, & immortale, ut in homine, sed omnia secundum se tota* (h. e. secundum corpus & animam) *educi de potentia materia. Hoc enim significans* (rerum Conditor) *dicit: producant aqua reptile, & natatile & volatile super terram, & terra producat jumenta & reptilia & bestias; hominem verò etsi ex terra fecit, non tamen jussit, ut terra produceret, sed ipse apud sese Deus statuit illum facere, dicens: faciamus hominem; usq; adeò magnam energiam habent verba singula.*

§. 63. Et in cap. 4. p. 60. ita proponit: *cum natatilium, volatilium, reptilium & progredientium, irrationalium tamen animalium creationem narrat Moses, his usus est verbis: Dixitque Deus, producant aqua reptile anima viventis. &c. Cum tamen ageret de hominis creatione, inquit, formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terra, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Quæ verba magnum continent Natura arcanum. Indicavit enim aperte, illud, quod tantoperè inter Philosophos controversum est, hominis animam non esse eductam ex materia potentia & fecunditate, velut animas irrationalium, sed extrinsecus accessisse, nature immaterialis participem, non quidem nascentem intrinsecus ex materia, sed divinâ vi extrinsecus in illam immersam, &c. Et post aliqua ait: hinc pendet questio (& assertio) de anima immortalitate, &c.*

§. 64. Didac. Masius in comm. sup. l. 1. Phys. ca. 9. q. 8. p. 263. hanc ponit Assertionem: *Omnes formæ naturales, exceptâ animâ rationis compote, educuntur de potentiâ materia. Et post aliqua pergit: quæ sanè sententia confirmari potest ex cap. 1. Genes.*

nes. ubi legimus, Deum Opt. Max. dedisse terra facultatem emittendi ex se herbam viventem, & lignum pomiferum juxta genus suum, & aqua producendi reptile anima viventis. Et, adscriptis ipsis Scripturæ verbis, pergit: Ex quibus in hunc modum suadere possumus assertionem: Quæ producuntur secundum facultatem ipsis rebus naturalibus à Deo concessam, verè educuntur de potentia materia, quia non creantur. At docent Sacra Littera, terra & aqua concessam esse facultatem & potentiam emittendi ex se hæc vivencia. Er. formæ illorum verè de potentia materia educuntur.

§. 65. Hæc ex Scripturis SS. prolata, quanta quanta sunt, Aristotelica sunt. Apud ipsum enim materialis materialium formarum & animarum productio, quam educationem de potentia materiæ in Scholis salutare consuevimus, habetur sacrosancta, ceu alibi (*Disp. 5. de Ors. formar.*) à nobis monstratum. Omnium optimè & clarissimè id docuit in l. 2. de gen. animal. c. 3. ubi illas animas, quæ cum corpore communicant, asserit in generari corporibus suis, Mentem verò, h. e. animam rationalem, utpote quæ cum corpore & corporis actione non communicat, ἴσχυει ἐν πρῶτοις, καὶ θεῶν εἶναι μόνον, h. e. forinsecus ingredi, solam quæ divinam esse.

§. 66. Ubi non est, ut dicas, Aristotelem loqui de hodierna animæ rationalis productione. Resp. esto; unus tamen est productionis modus, quando cunq̄ue fiat anima rationalis, aut aliæ etiam formæ. Materiales enim materialem, immateriales immaterialem productionis habent modum; ille est educatio è potentia materiæ, hic est creatio. In hanc rē, quoad animam rationalem, sunt præclara Ambrosii verba *Traët. in Symbol. Apost.* sic scribentis: quod ita esse mulieris nos docet exemplum, quæ cum de costa Ada in mulierem formata esset, postea animam à Deo accepit. Quæ creationis forma usq̄ in finem mundi in nobis servatur. Quotidiè ergo Deus in plasmatis jam

corporibus animas facit & infundit. Et Brentius Tom. 1. comm. in Gen. c. 2. p. 32. Sicut Deus ab initio inspiravit homini spiraculū vitæ, h. e. animam, ita pergit singulis hominibus suas animas verbō suo creare & inspirare. Hinc est, quod veteres dixerunt, Deum creando animas infundere, & infundendo creare.

## VII. Mundus est unus.

§. 67. Scriptura S. non nisi unius meminit Mundi. Similiter Aristoteles, qui lib. 1. de Cælo c. 8. & 9. aliquot argumentis disputat de unitate Mundi, ad quem locum videantur Conimbric. commentarii, & adjungatur August. l. 18. de Civit. Dei c. 14. & Plutarchus l. de plac. Philos. c. 8. Omnium autem clarissimè hoc propositum extat in lib. de Mund. c. 5. ubi hæc habentur: Itaq; universorum coagmentationem (τῶν ὅλων σύνθεσιν) cæli, inquam, & terra, & universi Mundi (σύνπαντος κόσμου) natura ipsa digessit, &c. Et postea: terram omnem, omne mare, &c. vis una per omnia pertingens certò descripsit ordine, ex diversis naturis (aëre, terra, igne & aqua) Mundum (σύνπαντος κόσμον) architectata. Hic unus tantum mundus describitur. Imò ex nominibus etiam Mundi unitatem probavit (vel, probatam vult) Philosophus. Mundus dicitur τὸ πᾶν, item τὸ ὅλον. Si igitur Mundus est omnia, nihil est præter Mundum, ipse adeoque unus est. Imò ὅλον, in quantum ὅλον, unum est.

## VIII. Mundus est perfectus.

§. 68. Et vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & ecce, evans valdè bona, h. e. valdè perfecta, Genes. ca. 1. v. ult. Quod unum Scripturæ S. testimonium locò omnium fit. Perfectionem Mundi pluribus docet & ostendit Aristot. In lib. de Cæl. c. 1. r. 4. inquit: τὸ ἅπαν ἔτι καὶ μόνον, τέλειον ἀναγκάσιον εἶναι, h. e. ipsum autem omne (seu universum) cujus hæc (enumerata scil.) sunt partes, perfectum esse necesse est. Imò hoc ipso, quò πᾶν seu ὅλον dicit, perfectionem ejus indigitat.

§. 69. Colligiturque id insuper ex aliis multis Philo-  
sophi dictis, ut quando e. g. ait, *Naturam semper id facere, quod*  
*est optimum eorum, quæ fieri possunt, lib. 2. de Cæl. t. 34. lib. 8.*  
*Phys. t. 48. l. 4. par. an. c. 10.* Si verò Natura à Deo ita instru-  
cta est & dotata, ut non nisi id, quod optimum est, facere cal-  
leat, ipsam sanè optimam adeoque perfectissimam esse con-  
sequitur. Equipollent autem, quantum ad præsens, *Mun-*  
*dus, Theatrum Natura, Natura,* &c. ut hoc ipso, quo Mundum  
perfectum dicis, Naturam dicas perfectam, & vicissim.

IX. *Mundus, juxta Aristotelem, est interiturus.*

§. 70. In Scripturis Sacris hæc res est certa; de Aristo-  
tele, de quo fortè dubitaveris, dispiciemus. Sed ecce! ex ipso  
idem hoc assertum deducimus & manifestum facimus. Do-  
cet Aristoteles, Naturam & omnes res naturales dependere  
à Deo, ceu vel unicè è *lib. de Mund. c. 6. & 7.* liquet. Jungantur  
loca *supr. §. 13. seqq.* in medium citata. Habebit igitur Na-  
tura, habebit Mundus aliquod initium juxta Aristotelem.  
Omne autem quod habet initium, habere quoque finem,  
docet locò non unò; *l. 3. Phys. t. 30. lib. 1. Cæl. t. 102. 106. & 109.*  
*Add. l. 2. Cæl. t. 2.* Jam subsume ex Aristot. & conclude; pro-  
dibit hæc assertio; *Mundum habere finem, quod idem est, ac si*  
*inferas & dicas: Mundum interiturum esse.*

§. 71. Sed inquis, Philosophum loqui de naturali natu-  
ralium rerum principio & fine, sive de eo, quod incipit natu-  
raliter, & desinit naturaliter. Resp. esto; propositio tamen  
Philosophi generalis reddi potest & absoluta, ut habeat locū  
æquè in illis, quæ supernaturaliter fiunt desinuntq; , ac in illis,  
quæ naturaliter. Deinde, quamvis non sit universalis de actu,  
est tamen, de potentia si accipias; omne quod incepit, habet,  
aut habere potest finem, quod verū est de quovis ente finito,  
collato ad potentiam absolutam Dei. Sicut enim omnia,  
quæ esse inceperunt, à Deo acceperunt esse; ita vicissim ab

eo destrui possunt; quod principium omninò in Philosophia Aristot. est fundatum. Habent autem, & habebunt finem ea, quæ Deus (& quando) vult destruere. Sicut enim liberè omnia creavit Deus, ita liberè in esse conservat, quæ vult, & quamdiu vult, & denique destruit, uti dictum, quæ vult, & quando vult.

§. 72. Deus enim, qui, juxta Aristot. nullius externi boni est indigens, sicut liberè Mundum creavit, ita liberè eundem conservat, h. e. ita eum conservat, ut etiam possit non conservare. Unde fluit, eum, qui liberè construxit Mundum, ipsum quoque eundem posse destruere, si ipsi complacitum fuerit. Hinc, qui libertatem (eamque summam) agendi in Deo habet cognitam, uti habuit Aristoteles, ipse non negaverit, Deo integrum esse, h. e. penes ipsum stare, servare rem, vel non servare, destruere, vel non destruere, &c.

§. 73. Struimus itaque, & quidem ex Arist. mente syllogismum: à quocunque Mundus liberè constitutus & adornatus est, ab eo is vicissim potest destrui. Sed à Deo Mundus fuit liberè constitutus & adornatus. Er. Mundus à Deo (si ipsi ita visum fuerit) potest destrui. In hac argumentatione & Major propositio & Minor fundantur in Aristotele, ceu ex disputatis & probatis manifestum est.

X. Mundus juxta Aristot. non est æternus  
intellige, propriè & verè.

§. 74. Hæc propositio ex jam dictis est manifesta. Quidquid enim incepit esse, & esse desinit, vel, saltem desinere potest, illud non est æternum. Mundus (Aristoteli) incepit esse, & desinit esse. Er. Mundus (juxta Aristot.) non est æternus. Vel: quidquid à Deo liberè fuit constitutum & adornatum, ab eoque vicissim destrui potest, illud nequit esse æternum, intellige, propriè & verè. Atqui Mundus à Deo  
libe.



liberè fuit constitutus & adornatus, ab eoque vicissim destrui potest, quando ipsi visum placitumque fuerit. Er. Mundus non est æternus, scil. propriè & verè. In hoc syllogismo Major est irrefragabile principium; Minor verò est Aristotelis, (ceu in præcedentibus manifestum fecimus) quamvis non *κατὰ τὸ πρῶτον*, tamen *κατὰ τὴν ἀγένειαν*.

§. 75. Sed ecce! ex Aristotele evidentissimè probamus id, quod probandum nobis sumsimus. Dat enim Majorem, dat Minorem. *In l. 1. de Cæl. s. 102. & 106.* ubi ait *impossibile esse, aliquid perpetuum (αἰδιον) simul & factum esse.* Et: *factū esse, perpetuum tamen esse, asserere, ex iis profectò est, quæ nequeunt esse.* Hinc ita: quidquid factum est, id nequit esse perpetuum sive æternum. Sed Mundus (Aristoteli) factus est, *lib. de Mund. c. 5. & 6.* Er. Mundus (juxta Aristot.) nequit esse æternus, scil. propriè & verè.

§. 76. Sed inquis, Aristotelem *l. d.* statuere, æternitatem Mundi; & alibi, nempe in *l. de Mun. ca. 7.* tradere, *Mundum esse (vel durare) ab ævo in alterum ævum.* Resp. non ex nudis vocabulis ubicunq̄ & quomodocunq̄ positis judicandum est de re, sed respiciendum est ad subjectam, de qua sermo est, materiam, & videndum, qualem significatum voces, quæ adhibentur, habeant, vel admittant. Imò similes phrasæ licet invenire in Sacris Literis. *In Eccles. ca. 3. v. 14.* dicitur, *didici, quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perseverant in æternum.* Hinc facilè quis inferet: si opera Dei sunt æterna, igitur Mundus quoque erit æternus. Sed ad hoc & alia de professo in altera hujus Tractat. parte.

Articulus II.

*De Institutione & Ordine Naturæ.*

§. 1.

**H** Atenus vidimus, quid Aristoteles de Mundi Constitutione nobis scriptum reliquerit, & quomodo ejus doctrina cum Scripturis SS. consentiat; deinceps de Naturæ institu-

stitutione & instructione, ut & hanc ex Aristot. ostendamus, & in ea ipsum Scripturis SS. consentientem reddamus, solliciti erimus. Proponemus autem primò rem in genere, postea ad speciem descendentes.

§. 2. Deum verò, omnium rerum Conditorum, non *εὐταίως*, sed *εὐταίως*, imò *εὐταίως* omnia fecisse, omniaque sapientissimè ordinasse, ex Geneseos Historia constat. Et testatur hac de re alibi Scriptura Sacra. Nimirum *in Psal. 104. v. 24.* Et *Sapient. c. 11. v. 21.* dicitur de Deo, *quòd omnia in mensura & pondere disposuerit.* Accinit Aristoteles *in lib. de Mun. c. 5.* ubi docet, *quòd Potentia Divina cuncta adornaverit*, certò ordine descripserit, & concinnè digesserit. Et *seq. c. 6.* ait, *universum hunc Cæli terræq; ordinem (ἀγνοοῦν) à Deo administrari & regi*, h. e. quò ordine Cælum & Terra (& cuncta, quæ in illis posita sunt) à Deo primitus sunt constituta, eò ab ipso servantur eo administrantur.

§. 3. Offert autem se hîc duplex potissimùm ordo; rerum & causarum, h. e. quomodo res ordinatæ invicem sint, & quomodo ipsæ, seu quibus legibus instructæ fuerint ad actiones suas obeundas. Primò, sapientissimus Mundi Architectus certum rerum ordinem instituit, singulis sua loca & habitacula assignando, Cælum supremò, Terram infimò locò constituens, aliis intermedia loca decernens, qui Ordo ex *cap. 1. Genes.* clarè perspicitur, de quo & aliis pluribus videatur *Valles. l. d. c. 70. tot.* Deinde, rerum Conditor Creaturis corporeis, ne sint otiosa terræ pondera, vires agendi sive operandi tribuit, aliis quidem & aliis alias & alias, puta, cunctis juxta species suas convenientes, illisque leges & limites constituit, intra quos sese in actionibus suis contineant.

§. 4. Totius hujus rei, quæ Scripturam Sacram, elegantissimam habemus descriptionem *in Psal. 104. & Ecclesiastic. ca. 43. tot.* ubi Scriptores Sacri in eo sunt unicè, ut opera Dei (quæ creationem, quæ conservationem, ordinationem &

gu-

gubernationem Mundi) extollant & celebrent. Jungimus *Ecclesiastici caput 14. (vel cap. 16.) vers. 26.* ubi quidem alia & alia versio. Nobis placet illa, cui respondet Germanica B. Lutheri, quando nimirum ita legitur *d. v. 26. Deus ab initio opera sua bene ordinavit, & unicuique suum dedit officium, conservatque in hoc ordine de die in diem. Indefinenter funguntur singula munere suo, alterumque ab altero non impeditur, & aeterno huic mandato parent omnia. Præterea respexit etiam terram, eamque replevit operibus suis: terram etiam implet animalibus, quæ rursus subter terram veniunt.*

§. 5. Hisce planè conformia tradit noster Philosophus *d. l. de Mun. c. 6. fin.* Postquam enim dixerat, *universum hunc Cæli Terræque Ordinem à Deo administrari & regi,* addit: *in omnes ipse naturas partitus, pro universitate seminum (hinc distincta semina, & distinctæ virtutes generandi, pro distinctis speciebus viventium) in ea, quæ hærent solò, atque in animantia, quæ ipsa etiam suis generibus, formisque distincta sunt. Nam & vites sunt & palma, & persea, ficique dulces, & oliva. Tum quæ fructus expertes, alios usus præstant, platani, pinus, buxi, alni, populus etiam nigra, & cupressus odorata: Tum quæ autumnæ tempore fructum suavem fundunt, sed conditu difficilem, pyri, punicæ, mali. At verò animantium alia fera sunt, & alia cicures: tum in aère, tum humi, tum in aqua victitantes: oriunturque & invalescunt, & deinde intereunt, legibus obtemperantes divinis (τίς τὸ θεὸν περὶ ἰσχυρὰ θεοῦ οἰσ) & cedentes.*

§. 6. Quia verò quæ species (vel, speciales modos) magna hinc varietas, ideò distinctis propositionibus, sicut hæcenus quoque fecimus, negotium hoc expeditum dabimus.

I. Causæ naturales ex instituto Naturæ agunt per proprias vires.

§. 7. In Scripturis Sacris res hæc certa est, est quoque apud Aristotelem, id quod vel ex unico liquidum facimus & mani-

manifestum. Dicit Scriptura Sacra: *Adam genuit filios & filias*, &c. dicit Aristoteles: *homo generat hominem*. Hanc agendi efficaciam tribuit Deus non soli homini, sed cunctis animantibus, quando dixit: *crescite & multiplicamini*, &c. eandem Aristoteles statuit, quando *animam vegetativam principium generandi* statuit l. 2. de anim. c. 49. Quò præprimis pertinet, quòd Scriptura dicit, *Genes. 1. v. 11. & 12.* quòd Deo dicente, *terra protulerit herbam virentem & facientem semen juxta genus suum, lignumq; faciens fructum, & habens unumquodq; in semetipso semen secundum speciem suam*. Hoc ipsum quoque dixit Aristot. in l. de Mund. c. 6. quòd rerum Conditor fuerit *partitus naturas pro universitate seminum in ea, quæ hærent solo, atq; in animantia, quæ ipsa suis generibus formisq; distincta sint*. Hinc sunt *vites & palma, & persea, ficiq; dulces & oliva, &c.* ceu in §. antec. posita habent verba.

II. Cœlestium corporum, h. e. siderum, ex prima naturæ institutione, plura sunt munera & officia.

§. 9. Primò, *sunt in signa & tempora, dies & annos*, *Genes. 1, v. 14. Fecit lanam in tempora; sol cognovit occasum suum: Posuit tenebras, & facta est nox*, ex *Psal. 104, v. 19. & 20.* Jungatur *Ecclesiastic. ca. 43. v. 3. & 6.* Hic ordo ab Aristot. in lib. de Mundo prolixè & enixè descriptus habetur. Et si quæsieris, cur annuò spatiò Sol cursu suo orbem suum conficiat, ortu & occasu diem noctemque disterminet; item, cur Luna mense orbem suum peragat, cur interdum accrescat, interdum decrescat, &c. respondet Aristot. quia hoc modò Deus ordinavit, & tali lege sidera in Cœlo constituit, d. l. de Mun. aliquoties, ca. 2. 5. & 6.

§. 10. Deinde, motus Cœlestium est causa motuum & actionum in hisce inferioribus, non quidem omnium, sed multorum, imò plurimorum. Multas enim actiones planè desituras, plurimas à suo vigore, in quo nunc sunt, cessatu-

faturas esse, certum est, siquidem motus cœli noctem & diem, ita loquendo, concreat, sol motu suo diversa anni tempora constituit; imò sine motu Cœlestium tam generatio quàm corruptiorum rerum locum habere vix poterit. Docuit hoc Aristot. *l. 8. Phys. c. 18. 1.* & præcipuè *l. 2. de ort. inter. c. 10. tot. l. 8. Phys. c. 6. 1. 53.* Consentit Scriptura S. in locis antè citatis, ubi videndum est.

§. 10. Deniq̄ne, Cœlestia corpora sive sidera sunt causa generationum in hoc inferiori Mundo. *Aristot. lib. 1. de gen. animal. c. 2.* statim post initium; *quam ob rem in Universo Cœlum & Solem, & reliqua generis ejusdem nomine genitoris patrisq̄ appellant.* Sic quoq̄; Scaliger *Exer. 75. s. 9. p. 276.* Huc pertinet, quòd ait Arist. *solem (& hominem) generare hominem, l. 2. Phys. c. 2. 1. 26.* Eandem quoq̄; *ἐπέγειον* Scriptura tribuit Cœlo, & quidem in loco non uno. Sic *Deuter. 33, v. 14.* ait Moses ad Joseph: *De benedictione Domini terra ejus, de optimis donis Cœli, de rore & de abyssò; & de optimis donis solis, & de optimis donis mensium, &c.* Conf. *Jerem. 7, ver. 18. & Jer. 44, v. 17. & 18. cum glossa margin. Lutheri.*

### III. Viventia, juxta Dei institutionem, generant sibi simile.

§. 11. Hic respiciendum primò ad *Dei institutum*, deinde ad *Natura exercitium* sive *actum ipsum*. Illud proponitur in *c. 1. Geneseos*, ubi *Deus jussit terram progerminare herbas & arbores, quæ suam, juxta speciem suam, proferant semen*, quòd nimirum medium sit, quo plantæ sese multiplicare, & speciem propagare possint. Quod etiam *factum est ita*, nempe protulit terra ejusmodi herbas & arbores, quæ semen juxta species suas afferant, ut mediante illo sese multiplicent & propagent, *ver. 11. 12.* Postcà Deus jussit animantia ipsumque deniq̄ne hominem sese multiplicare, dum dixit, simul

M

&amp;

& benedixit cunctis; *crescite & multiplicamini, & replete aquas, terram, vers. 23. 24. & 28.*

§. 12. Hoc Dei institutum novit quoque & exposuit Aristot. quando (1.) in *l. 2. de an. t. 49.* docet, *animam primam*, (quam vegetativā intelligit) *esse generativam talis* (intellige, 1. corporis, 2. talis in specie) *quale est id, quod ipsam habet.* Quō ipso univoca viventium generatio (ipsaque adeō Dei institutio) satis clarè edocetur. (2.) Aristoteles semen tribuit plantis *ib. 3. de gen. anim. c. 2. & c. 11.*) & animalibus, (*in libris de gener. animal. hinc inde sæpissimè*) quō mediante eorum perficitur generatio.

§. 13. Si jam ipsum *Naturæ opus* respicias, illud æquè claret in Aristot. ac in Divinis Scripturis. Testantur hac de re amplissimi de *Generat. anim. libri*, in quibus non solum generationem ipsam animantium, verum quoque ejus principia & causas, varium item generationis modum propositum & expositum invenimus.

IV. Secundum Naturæ institutionem, duplex in ea datur generatio, univoca & æquivoca, adeoq; causæ generantes duplices, &c.

§. 14. De univoca generatione modò constitit; æquivocam jam monstrabimus. In Aristotele ipsam doceri nulum est dubium. In *Lib. 1. de ort. int. c. 5. t. 30.* *Gignitur absolute unum ex alio, atq; ab aliquo actu existente, quod ejusdem sit aut generis, aut speciei; ut ignis ab igni, homo ab homine, aut ab actu; durum enim à non duro fit; quomodo e.g. frigus actu generat durum, sibi dissimile ex aliquo actu, puta, molli.* Quo ipso generatio æquivoca innuitur. In *l. 7. Metaph. c. 9. t. 31.* ait: *non omnia oportet quarere, sicut homo ex homine; etenim mulier ex viro. Unde mulus non ex mulo.* Quibus verbis significatur, non omnia fieri ex purè & totaliter univocis, uti loqui-

loquitur Scotus *in h. l. p. 226.* sed varios generationis modos hic occurrere. Clarissimus est locus *in l. 4. Meteor. c. 1.* ubi, *quin etiam in hisce, quæ putrescunt,* inquit, *animalia gigni solent;* quæ non alia, quàm æquivoca est generatio, ceu notum est.

§. 15. Eosdem hosce diversos generationis modos Scriptura S. aperit. Mulorum generatio *Genes. c. 36, v. 24.* describitur, quæ, ita loquendo, est semi-æquivoca generatio. Vermium quoque generatio, ex pane putrescente, quæ est purè æquivoca generatio, exponitur *Exod. 16, v. 20.* his ipsis verbis: *scatere cæpit (panis) vermibus, atq; computruit.* Res hæc cum ex pauculis hisce liquida sit, ad alia transimus.

#### V. Omnia propter hominem, & ultimò propter Deum.

§. 16. Prius proponitur nobis *in Genes. c. 1, v. 19.* ubi sic: *ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universaligna, in quibus est fructus, & producant semen; ut sint vobis in escam, &c.* Et *in antec. ver. 26. dominetur (homo) piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, universaq; terra, omniq; reptili, quod movetur in terra.* Similiter *ver. 28.* Repetit *infra c. 9. v. 3. omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum, olera viventia tradidi vobis omnia.* Conf. *Ecclesiastic. 17, v. 3. & 4.* Quòd autem Scriptura S. Deum finem faciat omnium, tanquam certissimum notissimumq; supponimus.

§. 17. Quando Aristotelis Physicam adimus, hunc ordinem, vel hanc Dei ordinationem invenimus. Illa enim docet, cuncta in Mundo habere ordinem inter se, h. e. inter se ordinata esse, ita quidem, ut unum ordine suo respiciat alterum, seu propter alterum sit. Sic elementa sunt propter mista, & inter hæc inanimata propter animata, & inter hæc plantæ propter animalia bruta, hæc rursus propter hominem, qui,

quoniam quodammodo finis est, omnibus quæ sunt, propter se utitur, dicente Aristot. *l. 2. Phys. t. 24.*

§. 18. Ordinem hunc perpulchrè monstravit Aristot. *in 1. Polit. c. 8. Plantæ animalium sunt gratiâ, & cetera animalia hominum causâ, mansueta quidem propter utilitatem & cibum, fera verò etsi non omnia, attamen plurima illorum propter cibum & alia adjumenta, ut vestes & cetera instrumenta ex illis fiant. Si igitur Natura nihil neq; imperfectam facit, neq; frustra, manifestum est, illa omnia hominum gratiâ Naturam (Naturæ Authorem) fecisse.*

§. 19. Omnia tamen, quæcunq; sunt in Naturæ Theatro, ad unum tandem Ordinis authorem ordinata esse, quem ut finem ordine suo respiciunt, docet Aristot. *l. 12. Met. ca. ult.* ubi insuper ait: *omnia quodammodo sunt ordinata, sed non similiter & natantia & volatilia, & quæ à terra nascuntur; neq; ita inter se affecta, ut alterum cum altero nihil communicationis habeat, &c.* Et mox: *Ad unum enim omnia ordinata sunt.* (*πρὸς ἓν μὲν γὰρ ἐν ἅπασιν οὐκ ἔτακτον.*) Per unum autem nullum alium intelligit, quàm Ordinis authorem, Deum, quem in initio hujus capituli τὸ ἀεὶ ὄν seu *Optimum* (vel *Summum Bonum*) dixerat.

§. 20. Ex quibus tandem apparet, Deum juxta Aristot. omnium rerum, seu totius Universi finem ultimum esse. Ad quod enim & propter quod omnia sunt ordinata, ipsum verò propter nihil aliorum, illud est finis ultimus omnium istorum. Sed omnia in Mundo ordinata sunt ad unum, ad Summum Bonum, scil. ad Deum, sive, propter Deum sunt omnia, quæ sunt, ipse verò propter nihil horum, ceu perspicuè Aristot. *l. d.* docet. Deus igitur (seu Summum Bonum) est finis ultimus omnium illorum.

## VI. Omnium rerum in Naturâ vicissitudo.

§. 21. Not. sermonem esse de rebus naturalibus, in quan-



quantum tales sunt, mutationibusque naturalibus substant. Ita lege Naturæ cautum est. Generatio advenit, generatio præterit, inquit *Eccles. 1, v. 4.* Ubi alia similia habentur. Pulchrè huic Ecclesiastæ consentit illud *Ecclesiastici ca. 14, v. 18.* *Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi. Alia generantur, & alia dejiciuntur, sic generatio carnis & sanguinis: alia finitur, & alia nascitur, &c.* Addimus & sequentia. *Mortales velus herba immutantur, quæ mane floret ac vires accipit, vesperi arefacta refecatur, sive, arefcit & decidit, Psal. 90, v. 6.* Cui accinit *Psal. 103, v. 14. & 15.* ubi sic: *hominis atas fœno similis est, floret quæ ut flos in agro, qui nullus erit, si eum ventus pervaserit.* Quibus duobus dictis terræ nascentium (herbarum, puta, graminum, florum, &c.) pariter & hominis caducitas edocetur.

§. 22. Hæc ipsa Aristotelis quoque doctrina est. In sæpè allegato *lib. de Mund. c. 6. fin.* ait de rebus viventibus: *oriuntur, invalescunt, corrumpuntur.* Cujus rei fundamenta proponuntur in *Lib. de Juven. & Senect. Vit. & Mort.* ubi vid. Imò unius generationem esse alterius corruptionem, & vicissim, unius corruptionem alterius generationem esse docet in *l. 1. de ort. & int. t. 17. 21. & 23. Conf. l. 3. Phys. t. 73.*

VII. Ex institutione & lege Naturæ omnia resolvuntur in ea, ex quibus facta sunt & constant.

§. 23. Docet hoc Aristot. in loco non uno. *In l. 3. de Cæl. t. 14. & 42. lib. 3. Metaphys. t. 15.* Confer. *l. 1. Cæl. cap. ult. fin.* Hoc idem docet Scriptura S. quando de Adamo dicit, quòd *reversurus sit in terram, unde fuit desumptus, Genes. 3, v. 19.* Id quo repetitur in *Eccles. c. 12, v. 7. & Ecclesiastic. 40 v. 11.* *Omnia, quæ de terra sunt, in terram convertentur.*

VIII. Ordo Mundi à Deo conservatur in perpetuum.

§. 24. *Ordo Mundi est perpetuus, (cicli &c.)* inquit Aristot.

M 2

l. 2.

*l. 2. de Cael. ca. ult. t. 96.* Quod intelligendum est de longa duratione, quæ nimir. Naturæ convenit. Et à Deo hoc esse docet Aristot. *l. de Mun. c. 2. init.* τάξις καὶ διακόσμησις ὑπὸ τοῦ θεοῦ καὶ διὰ θεοῦ φιλαπομένη, h. e. *ordo & digestio universorum à Deo & per Deum custoditur*, utpote ex quo & per quem omnia sunt constituta, *l. d. ca. 6. post init.*

§. 25. Idem hoc, quantum ad rem ipsam, in Scripturis SS. propositum habemus. In *Genes. ca. 8. ver. ult.* dicit Deus: *Cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & aestus, aestas & hyems, nox & dies non cessabunt.* Cunctis diebus terræ, h. e. quàm diu stabit terra, (vel quàm diu durabit & vigebit Natura) non cessabunt ista, sed manebunt & vigebunt, siquidem Deus ista ita constituit in prima creatione & rerum dispositione. Et hoc est illud αἰδιον Aristotelicum, quod nimirum constitutæ Naturæ convenit.

§. 26. Cunctis quoque diebus terræ non cessabunt rerum generationes in Natura, siquidem Benedictionis Divinæ, quam post Diluvium repetiit Dominus *Genes. 9, v. 1.* vigor perseverat in perpetuum. Id quod Aristot. pulchrè confirmat in *l. 2. de Ort. & int. c. 10. t. 59.* ajens, quòd *Deus Univerſum compleverit continuâ factâ generatione.* Ita habet textus Græcus: ὁ θεὸς συνεπλήρωσε τὸ ἔλον, ἐντελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν. Quo ipso ipse Deus operatur secundum ordinem Naturæ à se præscriptum, ἐνδεία περβαίνει κατὰ φύσιν πορευόμενος, *l. de Mund. ca. 7. fin.*

### Supplementum Propositionis X. in artic. 1.

Probatum fuit ibi, & quidem ex Aristot. Mundum non esse ab æterno. Idem jam agemus, pleniorẽ & planiorẽ hujus rei ἐξήγησιν καὶ ἀπόδειξιν afferentes. Primò in *lib. de Mun. c. 5.* sequentia dicit Philosophus; 1. quòd *Divina Potestas, terram omnem, omne mare, solem, lunam, totamq; Cælum adornaverit, (διακόσμησε)* 2. quòd è *diversis & impermixtis naturis (aëre, terra, igne & aqua) Mundum fuerit*

fuerit architectata, (δημιουργήσασα) 3. quòd Mundum globosâ figurâ comprehenderit (μία σφαίρας επιφανεία λαβῆσαι) 4. quòd naturas quam maximè contrarias adstrinxerit (ἀναγκάσασα) ad consensum, & 5. hac rerum molitione Universitati ipsi salutem machinata sit. Hinc fluit συλλογίζων λόγος: quidquid ita factum est, uti Aristot. jam recensuit, nimirum per δημιουργίαν, per ἀγκόσμησιν, &c. illud juxta ipsum nequit ab æterno esse. Sed Mundus & res Mundi juxta Aristot. ita factæ sunt. Er. Mundus & res Mundi (uti sunt Cœlum, Terra, Mare, &c.) juxta ipsum non possunt esse ab æterno. Deinde seq. ca. 6 inquit. *universa ex Deo & per Deum constituta esse; συνέστηκεν*, inquit. Quæ constitutio (tùm quâ rem, tum quâ modum) procul omni dubio non est alia, quàm ea & ejusmodi, quam cap. antec. 5. descripsit. Et quis negaverit, distinctam distinctarum rerum constitutionem Aristoteli per naturam fuisse cognitam? Ut benè se habeat argumentum hoc modò formatum: quæcunq; distinctim constituta sunt juxta naturas suas, illa nequeunt esse ab æterno. Sed res mundi, sive corpora naturâ constantia distinctim constituta sunt juxta naturas suas. Er. Corpora naturâ constantia nequeunt esse ab æterno. Major ex terminis constat; Minor est Aristot. Idem hoc, assumtis dictis suprâ ex Libris Metaphysic. allatis, ostendimus. Nimirum: *Deus est principium & causa rerum; à Deo Cœlum & Natura dependet*. Hæc neque intelligi volunt, neque intelligi possunt de æterno rerum Ortu. I. Non volunt; eorum enim (tanquam generaliorum dictorum) intentio explicanda est ex specialibus Aristot. dictis, quæ in lib. de Mundo inveniuntur. Quod confirmatur: de unaquaque re judicandum ex propria & genuinâ tractationis sede. Ortus autem Mundi ab Aristot. non in Lib. Metaphys. sed in Lib. de Mundo docetur. Ex hoc igitur libro judicium faciendum de Ortu Mundi. Ita igitur se habet ortus Mundi juxta Aristot. uti in lib. de Mun. docuit. II. Non possunt Metaphysica Aristot. dicta intelligi de æterno rerum Ortu. Etenim aut intelliguntur de simplici rerum emanatione, quâ res ab æterno prodierint ex Deo sine novitate essendi; aut intelliguntur de tali dependentia, quâ res, quæ antè non fuit, de novo fit. Non prius. Aut enim simul & semel in simplici æternitatis *ἕν* cuncta ex Deo (juxta Arist.) prodire, aut non. Si non; habemus, quod volumus. Si verò affirmativam assumeris, talia inconvenientia sequuntur, quæ Philosopho extremè adversantur, & quæ ipse ne quidem per somnium cogitavit, præcipuè, quòd res spirituales & corpo-

corporeæ, quòd materia & res à materia tam dependentes quàm independentes, quòd materia & res materiâ constantes, h. e. composita Physica, eaque plurima & ferè infinita, unâ & eâdem numero actione à Deo provenerint, quod à Philophia Arist. est alienissimum. Hæc siquidem res spirituales, ipsamque materiam primam independenter, res verò materiales dependenter ab ea fieri, ipsaque corpora ex materia & forma confici statuit. Quà alterum verò, quærimus: an natura & res naturales sint à Deo per creationem, an per generationem, (hos enim duos fiendi modos habet Arist.) an per utramque? Resp. per utramque, sed diversâ ratione, & secundum diversa, sive secundum diversas naturas. Quædam enim, juxta Aristotelem, creatione, quædam generatione petunt fieri, ceu ex suprâ (*in ar. 1.*) dictis & disputatis constat. Hic, an æternam rerum creationem & generationem admiserit Aristoteles, aut admittat Aristotelis Philophia, dicant ex ipso Aristotelomastyges. Deinde, τὸ dependere, & τὸ fieri rerum non alio, quàm eò modò intellexit Aristoteles, qui rebus & rerum naturis convenit. Non enim voluit, Cælum Naturamve dependere à Deo, repugnante ipsis modò; sed eò, qui unicuique secundum naturam suam convenit, quò etiam cuncta facta esse, ex ipsa Geneseos descriptione perspicitur. Verbò: Aristotelis διμίσχυια & σύστασις (*δημιουργηματα καὶ σύστασις*) non est alia, quàm ea, quæ in sacra Geneseos historia descripta invenitur. Nunc quærimus: annon illa, quæ distinctum habent esse, distinctasque naturas, habeant quoque, juxta Aristotelem, distinctum modum ortus sui, nimirum ut illa, quæ habent esse à materia independens, fiant independenter à materia, quæ verò esse dependens, fiant dependenter ab ea? Omninò. Debet enim, juxta Aristot. doctrinam, actionis terminus actioni ipsi respondere. Ita er. uti sequitur, Aristotelis docet Philophia: quæcunque habent distinctum esse, distinctasque & diversas naturas, illa quoque habent distinctum & diversum dependendi modum. Sed res Mundi habent distinctum & diversum esse, &c. quædam enim habent esse immateriale, quædam materiale; quædam esse completum, quædam incompletum, &c. Er. res Mundi habent distinctum & diversum dependentiæ modum. Si hoc; Er. res Mundi non sunt ab æterno, siquidem in æternitate & ab æternitate talis fiendi & dependendi distinctio atque diversitas locum non habet. Importat enim hæc ordinem & seriem constitutionis rerum juxta diversas naturas, quæ æternitati repugnat.

*Deo, Natura Authori & Conservatori gloria.*



*Præstantissimo & Doctissimo*  
 DN. HANSELIO, Ungaro,  
 S. P.



*S*ic Sophia ex penita tu Naturalis abyſſo,  
*Ortus quis Mundi, mente ſagace vides?*  
 Experiẽre brevi, ſi continuata caleſcent,  
 Quot tibi, quotq; tuis emolumenta fe-  
 rent!

*amoris & honoris er. f.*

Johannes Zeifold.

Ἐπεὶ σὰς, Φιλ' ἑλαῖρ' ἐνὶ οἷσι γραφαῖς θεοπνεύσαις  
 θειοτάτων λογίων συμφωνήεις μέγισθ',  
 κείμενθ' ἐν πάντεσιν ἀριστέλης σομάτεσιν,  
 οἷσι τ' αἰσυμφωνήσειεν, σύ γε δείξασθαι καλῶς  
 ἔτι θεοπνεύσαιο γραφῆς ἐνὶ κρῆμασι θυμῶν  
 ἴαναις, ἠδὲ σοφῶν γάλα ἐκ ζαθέοιο ἀμελξῆς  
 φιλοσόφου. Σοὶ τέτυκεν ἐκ θυμῶιο ὄλοιο  
 συγχαίρω, θεὸν ὑψιστὸν τε λιπαῖς ἰκετύω  
 ἔφρα πὰς ἀπ' αὐτῶν καλῆς προκοπῆσιν αἰέξου

*Pexeximio atq; Eruditissimo*

*Domino, Canterraneo suo*

*εὐχόμενθ' ἐποίησε*

M. Matthias Heinzelius,

Briznâ Hungarus

SS. Theol. Studiosus.

Qui



**Q**ui marcere finit scabrâ rubigine nervos  
Ingenii, semper fumos colit atque Vacunæ,  
Non cluet Aonidum soboles, non digna propago.  
Sub duce ZEISOLDO repetis dum prælia, mente  
Te gaudere aliâ bellè testaris, amice,  
Perge ita: magnorum conatûs præcæta virorum  
Excipient istos, & adorea tunc tibi surget.

*Sympatriotæ dilectio præproperè  
apposuit*

**Jonas Henricius Rosenbergâ**  
Hungarus, SS. Theol. &  
Phil. Stud.

---

**B**arbarus, fluctu decumano adæsam  
Lancinat ferrô Patriam minaci:  
Lanceas tenfas moriturus inter

Excubat Hunnus.

Inter hos verûm Patriæ tumultûs,  
Sedulus doctas relegis pagellas,  
Exhibens ZEISOLDO operante dicta  
Aurea magno.

Qui potest pressis Patriæ gementis  
Rebus, optatis studiis, adesse,  
Inpigrum hunc feri vocitant Beatum  
Jure Nepotes.

Te quoque Hanseli manet hoc laborum  
Præmium, Victrix meritura tandem est  
Lauream Solertia, Phoebi amato.  
Munere dignam.

*Hæc ita deproperabat*

**Zacharias Lani, Trenchinio**  
Hung. SS. Th. Stud.

Ung. VI 37


ULB Halle  
003 913 872 3




Sl.

U 3 17









B.I.G.

Farbkarte #13



31

TIONUM

criptura S. in illis,  
naturæ innote-

NSU ET  
NSU,

ND A;

DEI,

SIDE

SOLDO, Physf.

onorario,

NDENTE

HANSELLI,

lio-Hung.

Examini submitteur,

6. Octobris

o Ioc LX.

NÆ,

NNIS NISII.

13

*Handwritten note:* Nat. III. 2111